



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agrippinae, 1684**

40. Exemptus ab Episcopo excommunicatus, an à Iudice appellationis  
possit petere ad cautelam absolutionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

Baldus & DD. de Re iudic. Alciat. cap. perniciosam num. 126. de officio ord. Poterit tamen (inquit Alciat) d. num. 26. Episcopus supplicare Papæ, ut eos compellat qui hoc facere tenebuntur arg. cap. fin. de except. in 6. ubi DD.

QVÆSTIO XL.

Exemptus ab Episcopo excommunicatus, an à iudice appellationis possit petere ad cautelam absolutionem.

SUMMARIUM.

1. Exemptus petens absolutionem debet ante fidem facere de absolutione.
2. Absolutio ad cautelam quid sit.
3. A quibus censuris concedi possit.
4. Quando concedi possit.
5. Quare concedatur.
6. Concedi non potest nisi vocata parte.
7. Quomodo absolvi possit.
8. Delegatus an absolvi possit.
9. Pars aut iudex an impedire possit absolutionem.
10. Absolutio ad cautelam non presumitur.
11. Petens absolutionem ad cautelam non presupponit excommunicationem.
12. Confessarij an absolvant ad cautelam.

Poterit, idque vel per viam revocationis attentatorum, vel per modum absolutionis, antea tamen debet non plene, sed aliquoties de exemptione fidem facere, idque quia ius commune resistit exemptionibus, quibus facile ordinariæ illuderetur potestati, ac ne per figmenta exemptionum dolis & impunitatibus via aperiat. Innocentius, cap. solet de sent. excom. in 6. Rota decis. 274. in novis & decis. 308. licet Io. Andr. in d. cap. solet. variavit Rot. decis. 116. in antiquis Milis in repet. verb. excommunicatus si petat Fel. ca. Apostolice n. 20. vers. & subdit de sent. excom. Rot. dec. 6. de sent. excom. in novis & decis. eod. tit. in antiquis de qua absolutione ad cautelam videatur exactissime & latissime Gregorius Sarrus Benedictinus in Thesaur. Theologiæ moralis par. 1. lib. 2. cap. 17 n. 8. in qua materia paucis formabo quasdam conclusiones quæ summam omnem illius substantiam complectentur.

Prima conclusio, absolutio ad cautelam est ab Ecclesiastica censura conditionalis absolutio, concessa ratione periculi cum de valore censure dubitatur, Io. Andr. in cap. solet ubi DD. de sent. excom. in 6. Hugolin. de Censura Ecclesie tab. 3. cap. 22. §. 1. numer. 4.

Secunda absolutio ad cautelam concedi potest ab omnibus censuris excommunicationis suspensionis & interdicti excepto interdicto generali loci Anchar. d. ca. solet. num. 5. Gemin. ibid. in §. in secunda num. 11. Franc. ibidem vers. 4. Stephan. Costa in rep. num. 49 & ibi omnes cap. presentis de sent. excomm. in 6. ubi DD. glo. in verb. generali

Generali & in verb. declaramus ubi assignatur ratio, quare interdicto generali dari non possit relaxatio ad cautelam, Idq; siue censura latae sint ab homine, siue a iure, si tamen probabile dubium sit facti, aut iuris, quemadmodum exemptis demonstrat Gregor. Sayrus d. cap. 17. n. 7. Anchar d. cap. solet. n. 5. Gemin d. n. 11. Franc. n. 27. Stephan. Costa n. 49. Navar. in Manuali cap. 27. n. 277. & 278. Hugol. de cens. Eccl. ind. 3. cap. 22. §. 1. num. 9.

- 4 Tertia, absolutio ad cautelam peti & concedi potest, quoties sententiae nullitas allegatur, v. g. quia lata fuit à iudice competente, contra exemptum dummodo fiat aliqua fides & semiplena saltem probatio de exemptione aut nullitate sententiae Innoc. cap. venerabili n. 5. de censib. DD. d. cap. solet abb. cap. Apostolice n. 10. ubi Fel. n. 22. de except. Covarr. ca. alma mater par. 1. §. 12. n. 7. Primum de sent. excom. in 6.
- 5 Ratio est, quia haec species absolutionis concedi solet ut absolutus sine conscientiae scrupulo divinis & humanis se intermiscere possit Sayrus d. c. 17. n. 3. & 8. in fine & n. 13. quae ratio indifferenter militat in omni casu nullitatis Sayrus d. n. 8. Dividiaturque à Navarro d. n. 277. in dimidiatam, quae ad certum tempus & actum fit, & integram quae dubitatur esse lata, & eam quae scitur esse lata sed dubitantur an valeat DD. d. cap. solet Innoc. in cap. veniens ubi glos. final. de testib.
- 6 Quarto, concedi non aliter potest, quam vocata parte ad cuius instantiam excommunicatio fuit lata, quae si se opponat ac infra tempus octo dierum iustam excommunicationem non probet condemnanda erit in expensis ea propter factis DD. ubi supra Sayrus d. cap. 17. n. 9.
- 7 Quinta, à censura iuris ad cautelam absolvere potest, qui simpliciter auctoritatem habet absolvendi arg. cap. nuper de sent. excommunic.
- Sexta, à censura lata ab homine is absolvere potest ad cautelam qui excommunicavit vel illius superior quando causa ad eum via appellationis est devoluta glo. d. c. solet verb. per superiorem ubi DD. Hostiens. 10. And. & ca. per tuas de sent. excom. Covarr. d. §. 12. n. 8. Sayrus ubi supra n. 14.
- 8 Septima, de delegato reperitur pugnantis sententiae, placet sententia Covarruviae d. §. 12. nu. 8. vers. iudex qui eas foedere distinctiones conciliat, dicens delegatos Apostolicos qui delegantur ad cognoscendas causas extra Curiam, habere facultatem absolvendi ad cautelam, delegatos vero ad cognoscendas causas in Rom. Curia non habere hanc facultatem, nisi speciali commissione eis concessa sit, & sic usu & praxi observari asserit. Vide Navarrum in Manuali cap. 27. numer. 278. vers. quarto dico.
- 9 Octava, absolutionem ad cautelam nec pars nec iudex impedire potest nisi in casu manifesta injuria, quae si negetur, probari debet infra dies octo d. cap. solet & DD. ubi supra Sayrus n. 6.
- Nona, absolutio ad cautelam obtenta non praesumitur, nisi probetur cap. sicut nobis de

bi de sent. excom. glo. cap. proposuit in verb. de absolutione de cleric. excom. ministrante Navar. in Manuali cap. 27. num. 278. vers. septimo.

Decima, petens absolutionem ad cautelam non præsупponit aut fatetur se excommunicatum, secus si simplex absolutio postuletur Stephan. Castad. cap. solet. n. 46. Sayrus lib. 2. cap. 16. n. 16.

Undecima, Confessarius cui committitur absolutio ad cautelam non astringitur solemnitatibus antescryptis Navar. d. nu. nu. 278. vers. quinto quid autem si committatur ei in utroque foro vide apud eundem Sayrum & Navarrum, ubi plura de hac materia.

QVÆSTIO XLI.

Monachus exemptus à quo ab excommunicatione absolvi possit ?

SUMMARIUM.

- 1. Distinguedum inter excommunicationem illatam ex violentia manuum in- iestione & alias.
- 2. Tempus nisi accessus ad Papam sit difficile.

Quod Episcopus possit absolvere, videtur censuisse Federic. de Senis conf. 14. 102. de Lignano Clem. ne in agro de statu Monach. Navar. conf. 31 de penitent. At vero contrariam sententiam tenuit, Io. Andr. Abb. Fel. cap. significasti de foro comper. ca. pastoralis §. preterea vers. limita hanc primam de offic. ord. glo. fin. in Clem. penult. de sent. excom. in c. grave de offic. ord. Ang. de Clavasio in summa verb. exemptus. §. 6.

Paucis, distinguendum inter excommunicationem illatam ex violenta manu- um iniectione, & alias alterius speciei. Quoad illam, Episcopus absolvere potest ne detur religiosus occasio evagandi uti censent, Io. Andr. Dom. Anchar Francus & alij in cap. religioso de sent. excom. in 6, qui extendunt hunc Canonem ad exemptos, quo vero ad alios, absolvere non potest, quia ligare non potest Abb. cap. cum dilectus 2. not. de relig. dom. Bald. in Margarit. verb. excommunicatus arg. l. qui condemnare ff. de reg. iur. nemo autem absolvere potest, qui ligare aut condemnare non potest i. l. nemo qui ff. de reg. iur.

Quod temperandum videtur, si accessus ad Romanam Curiam seu ad Papam esset difficilis & periculosus, qua de re abunde satis alij in locis scriptis supra. cod. lib. cap. 1. vers. limitanda dntem est & infra quest. 30. & seqq. Card. Clem. 1. quest. 3. de offic. ord. Clem. attendentes in fin. de statu Monach. Conceditur enim Episcopo abso- lutio casuum reservatorum in casu quo quis legitime impedimento detentus ad se- dem Apostolicam vel eius Nuncium accedere non potest. cap. quamvis, cap. ea nosci- tur